



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Quum in nostra indignitate nihil aliud quam desperatio inveniatur: Dei
hæc summa bonitas atque dulcedo prædicatur, 4

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

cernere populum tuum. Ecce tot millibus
 populorum nudabuntur omnes iniquitates
 meæ. Tot agminibus patebunt scelera mea,
 non solum actuum, sed etiam cogitationum,
 simulque locutionum. Tot iudicibus inops
 astabo, quotquot me præcesserunt in bono
 opere. Tot arguentibus confundar, quotquot
 mihi præbuerunt sancta vivendi exempla.
 Tot vincar testibus, quot me monuerunt pro-
 ficuis sermonibus, seseque imitandos justis
 mihi dederunt sermonibus.

C A P V T I V.

*Quum in nostra indignitate nihil aliud quam de-
 speratio inveniatur: Dei sic summa boni-
 tas atque dulcedo predicatur.*

I. **D**omine mi Deus, non suppetit quod
 dicam: non occurrit quod respon-
 deam: Et ecce jam illi intersum discrimini;
 urget me conscientia; cruciant cordis arcana;
 coarctat avaritia, accusat superbia, consumit
 invidia, inflammat concupiscentia, incesat
 luxuria, dehonestat gula, confutat ebrietas,
 detractio lacerat, ambitio supplantat, rapaci-
 tas objurgat, discordia dissipat, ira perturbat,
 levitas dejicit, torpor opprimit, hypocrisis
 fallit, adulatio frangit, favor extollit, calum-
 nia pungit. Ecce liberator meus de gentibus
 iracundis. Ecce cum quibus vixi à die nativi-
 tatis meæ, quibus studui, quibus fidem serva-
 vi, ipsa me studia quæ dilexeram damnant,
 quæ laudaveram, vituperant. Hi sunt qui-
 bus acquievi amici, quibus parui magistri,
 quibus servivi domini, consules quibus cre-
 didi,

dididi, cives quibus cohabitavi; domestici quibus consenui.

2. Heu mihi, Rex meus, & Deus meus, quia incolatus meus prolongatus est. Væ mihi, illuminatio mea, quia habitavi cum habitantibus Cedar. Et cum sanctus dixerit, Multum, quanto magis ego infoelix dicere possum, Nimis incola fuit anima mea! Firmamentum meum, non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Spes mea, non est in filiis hominum, quem si remota pietate judicaveris, justum vix invenias: & nisi praveneris miserando impium, non erit quem glorifices pium. Credo namque, salus mea, quod audivi, quomodo benignitas tua ad pœnitentiam me adducit. Turris fortitudinis, sonuerunt nectarea mihi labia tua: Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Enimvero quia instruxisti me, tantaque propitius institutione formasti, totis medullis cordis, toto annisu mentis, te omnipotens pater cum dulcissimo puero, teque dulcissima proles cum serenissimo invoco paraclito. Trahe me, quatenus post te currere in odorem unguentorum tuorum delecter.

3. Quam magna, Domine Deus meus, multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te! Abscondisti quia conservasti, non quia abscondisti. Abstulisti, cum eam magis multiplicasti. Solet aliquando, quod absconditur, diligentius investigari, & inventum arctius amari. Dilata in te non minuuntur, sed magis crescunt desideria.

deria. Non est ergo tuus amor transitorius, sed æternus. Qui te diligunt, non tepescunt, sed fervere. Non est tuus amor ociosus: memoria tua super mel dulcis: meditatio de te, plusquam cibus suavis. De te loqui, plena est refectio: te nosse, perfecta consolatio: tibi adhærere, vita æterna: à te separari, mors perpetua. Fons vivus his, qui te sitiunt; esca indeficiens, qui te esuriunt. Gloria te quærentibus, gaudium invenientibus. Odor tuus suscitatur mortuos, respectus curat ægrotos; lux tua omnem fugat caliginem, visitatio tua cunctam repellit tristitiam. Nullus apud te mœror, procul à te omnis dolor; nulla tecum mœstitia, nulla indigentia: nulla, ubi es, necessitas: nullius boni est difficultas: nunquam ibi tenebræ, nec terror nominatur gehennæ: nullius noctis tetra cæcitas, nec tumultus improbitas. Nunquam famis sitisque inopia, frigoris nec æstus circa te moratur penuria; non invalidudo corporis prorsus, nec corruptio mentis; non zelus, neque contentio, nec omnino ambitio. Illinc abest sollicitudo finis & cura mortis, labor senectutis, languor ægritudinis: ibi nescitur passio aëris, & varietas temporis. Hæc est enim magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te, sed perfecisti sperantibus in te.